

ciosa verbis , re inania , aut subdola : quantoque maiore libertatis imagine tegebantur,tanto eruptura ad infensius seruitium.

O B S E R V A T I O N E S .

a Nouus princeps, remanentibus adhuc vestigiis libertatis , quæ potissimum conficiuntur in eo , si suffragio populi magistratus creantur, debet dare operam, ut candidati , iisque qui honores ambiunt, apud se nomina profiteantur; hoc est, ut in sua manu sit id omne, quod pertinet ad comitia ; hac specie, ut dicat, se nonnisi eorum nomina esse editurum , qui gratia, hoc est favore multitudinis, sed revera ipsius principis, & propriis meritis nituntur. hac arte cuncta ad se trahet ; nam quanto maiore libertatis imagine quisquid ea in re ipse aget, tegetur, tanto magis erumpet ad infensius seruitium. si quidem princeps nonnisi magistratus designabit, & creabit eos, quos voler; ac proinde uniuersam rem, in sua manu habiturus est.

FINIS OBSERVATIONVM IN PRIMVM
LIBRVM ANNALIVM C. CORNELII
Taciti.